DE
METROPOLI
MEDIOLANENSI.



MEDIOLANI,

Ex Officnia Typographica quon. Pacifici Pontij.

M. D. XCVI.

ILLVTSRISS.^MO

ACREVEREN.^MO

D.D. FEDERICO

BORROMEO

S. R. E. Cardinali, ac Mediolanensi Eccl. Archiepis.

Augustinus Tradatus Bibiliopola.

S. D.

HVNC de Metropoli Mediolanēsi libellum Reuerendiss. Caroli à Basilicapetri Nouariensis Episcopi labore cōscriptum, eod. inscio à doctissimo I. C. Hier. à Basilicapetri typis iterum mandare iussus; tibi FEDERICE Cardinalis *amplissimè potiusquā vlli alij offerendum duxi; nam &*

de iuriſdictione agit, & de factis eius Eccleſiæ Archiepiſcoporum, cui tu tanto cum omnium cōſenſu, tantaq; cum laude praees; & ab eo eſt ſcriptus, qui tui quàm ſtudioſiſsimus eſt, & cum eiuſdem Eccleſiæ presbyter eſſet, Carolo fœlicis recordationis patrueli tuo cariſsimus fuit eius et res præclarè geſtas, moreſq; ſanctiſsimos, poſteà Clericus religionis Sancti Pauli Decollati, perpetuæ omnium memoriæ eloquētiſsime mandauit. Accipe igitur Præſul ampliſsime pignus hoc reuerentiæ erga te meæ animo quo ſoles gratiſsimo, meq; tibi addictiſsimum, in tuam fidem ac tutelam ſuſcipere ne graueris, Vale.

Summa eorum quæ in libello de Metropoli Mediolanensi continentur.



1 QVI fuerint incolæ prouinciæ Mediolanensis ante Gallos, & quæ vrbes tunc initium habuerint.

2 Vt eadem prouincia Gallia facta sit; quæ eius ragiones; & quæ vrbes à Gallis conditæ dicantur.

3 Vt in ius venerit Romanorum, Mediolani & aliarum vrbium commemorata dignitas.

4 Mediolanensis vrbis præcipua dignitas in tota prouincia sub Imperatoribus.

5 S. Barnabam Apost. Euangelium Mediolanensi vrbi, ac prouinciæ primum attulisse, ibiq; consedisse.

6 Argumentum ex sede regia, & Apostolica. & de iure Metropolitico veteri.

7 De antiquitate Episcoporum Prouinciæ Mediolanensis.

8 Actiones Metropoliticæ Episcopi Mediolanensis de Episcopis Dertonensi Ecclesiæ datis à SS. Calimero, Maternoq; de S. Dionysij Mediolan. primo loco in subscribendo, deq; narratione quadam Vercellensium non uera.

DE METROPOLI MEDIOLANENSI.



DICTVRI de Metropoli Mediolanensi; originem prius ac veterem statum regionis, Ciuitatumq; ipsius ante Christum natum repetemus: ea tantum commemorantes, quæ aliquid earum dignitatis, aut excellentiæ demonstrent. Ad salutis deinde tempora veniemus. Erit hoc quasi de stipite siluestri agere; vt ad arborem ipsam posteà domesticis, ac fructuosis ramis insitis cohonestatam veniamus. Monemus autem ante omnia; ne quis à nobis tralatitia quædam, vel fabulosa vrbium initia expectet; quæ multi scriptis suis tradidere. Scribit Liuius datam esse hanc veniam antiquitati, vt humanis diuina miscendo primordia vrbium augustiora faceret; & origines suas consectans, ad Deos referret auctores. quod magni iudicij vir minimè probare videtur; poeticisq; dicit ea esse magis decora fabulis,

quàm incorruptis rerum geſtarum monumentis. Sed neque omninò improbat, vt Martem ipſe quoque populi Romani, de quo ſcribit, auctorem faciat. Noſtri; qui diuino munere illuſtrati, Deorum commenta, fabulaſq; reijciũt, leuitatem tamen veterum illorum imitantur: ac vel ad gentium fabuloſos heroas, ſeu Deos; vel ad ipſos Noe filios, patriæ originem vnuſquiſque nititur referre; idque ea plerumq; aſſeueratione, eoque conatu, vt ſi res narraret planè compertas: quæ tamen, cum neque veriſimilia ſint, neque ab hominibus eruditis, aliquouè allato probato teſtimonio dicantur; omittenda ſunt, vt ne refelli quidem poſsint ſine leuitatis, aut ineptię culpa. Nolumus etiam ea curioſe indagare, quæ nonnulli maiore quidem doctrina, ſed non maiore fortaſſe veritate, pro huiuſmodi originibus ex dubijs auctoribus, & argumentis in medium afferunt. Laudandum in ijs ingenium; ſed ſimplex tamen veritas potius eſt amplectenda; hoc præſertim loco, vbi præcipua tantum, ac certa harum rerum teſti-

monia nobis sumenda sunt.

Igitur grauissimi auctores Mediolani, & reliquarum ferè vrbium totius regionis originem referunt ad Gallos; qui Tarquinio Romanorũ Rege in Italiam traiecerunt. Sed ijdem indicant, antequam Galli aduenirent, & populos, & vrbes in hac Italiæ parte fuisse: neq; verò existimari potest, fertilissimam regionẽ, humanitatequè semper celeberrimam tum desertam fuisse, cum Gallia, & Germania multitudinem hominum suorum capere vix posset: itaque polybius Tyrrhenos scribit hanc regionem primo tenuisse: Gallos vero eius fertilitate pellectos, exercitu comparato, in Tyrrhenos impetum fecisse; campos occupasse. cãpos ipse, hanc Italiæ partem inter Apenninum, & Alpes, omnis Europæ maximos, atq; vberrimos appellat, forma quasi triangulari: quorum copiam, atq; ubertatem, tum hominum proceritatẽ multis describit. Liuius Tuscos ait ad inferum, superumquè mare longe, lateque imperasse: omnia etiam loca inter Apenninũ, & Alpes, excepto Venetorum angulo, te- lib. 2. lib. 3.

nuisse:

nuisse: cum vrbes duodecim intra Apenninum haberent; totidem trans eum colonias misisse. Tusci igitur imperabant in hac regione; & quidem, vt intelligendum est, regionis ipsius populis: populos eiusmodi ante Gallos Liuius ipse memorat, Insubres, Leuos, Libuos: pro duobus autem postremis putatur Polybius dixisse Laos, & Lebecios; quos propius Alpes collocat, quam Insubres: Sed Liuius Leuos quidem circa Ticinum amnē incoluisse ostēdit, vt facile cum Polybio
Lib.3.c.17 consentiat: Libuos verò eam partē, vbi Brixia est: ac Plinius videri potest cum Polybio consentire, dum Vercellas oppidum Lybicorum dicit. Idem vero Plinius plures prodit regionis populos: de quibus tamen singulis, Galli ne fuerint, an Itali; nō satis clare affirmat: Sallyos; Libycos; Vertacomacoros; Leuos, & Maricos, quos Ligures dicit; Orobiosq;. Mitto populos Alpinos; & etiam Ligures, quamquàm hi potissimum ad mare inferum incoluerunt. Fuerunt igitur ante Gallos huius regionis populi, & vrbes: quarum historia tamen nulla est. nam re-

rum Romanarum scriptores nostra ferè non attigerunt; nisi quãtum necesse fuit propter bella, quę cum Romanis posteà gessere Galli. atque ita vel vrbium ipsarum initia ab ipsis tantũmodo Gallis duxerũt; à quibus verisimile tamen est, oppida aliqua fuisse condita, vel aucta; nomina etiam mutata, vt suorum memoriã renouarent. Mediolanum à Gallis conditũ dicit Liuius; ab Insubribus Plinius; qui tamen nõ satis explicat ab Insubribus ne Italis vrbs condita sit, qui priores Gallis locum tenuere; an à Gallis Ceduis, quorum pagum ait Liuius Insubribus nostris fuisse cognominem: sed si Catonis fragmenta, quæ habentur, apud nos valeant; tum toscos, tum Italos Insubres auctores esse vrbis, quod alioqui etiam valde probabile est, affirmabimus: non autem Gallos. Vercellas quoque, Nouariam, & Ticinum idem auctor quemadmodum, & Plinius ad antiquiores populos refert. item Comum, ac Bergomũ; si ita interpretandum sit quod ait, stirpis hęc duo oppida fuisse Orobiorum.

2. Verum quidquid sit, vt ad Gallorum

tempora veniamus: prisco Tarquinio Romæ regnante, hoc est anno ab vrbe condita circiter centesimo quinquagesimo: ante Christum natum ad sexcentesimum; Liuius ait, Ambigatum Celtarum Regem, quæ pars Galliæ tertia est, regnũ suum, quod præ hominum multitudine vix administrare poterat, exonerare voluisse. ideo Bellouesum, ac Sigouesum sororis filios, impigros iuuenes delegisse: qui populis sibi, quos vellent, & quo numero vellent, adiunctis, alias *sibi quę*rerent sedes. Belloueso sorte obtigisse, vt in Italiam iret: atq; cum Biturigibus, Aruernis, Senonibus, Aeduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis, Alpes Taurino saltu superasse: Tuscos haud procul Ticino flumine acie fudisse: in agro Insubrium consedisse; Mediolanum condidisse. alias vrbes ab illis ædificatas Liuius non commemorat. tantum, Germanos, (alij Cænomanos legunt) Elitouio duce itidem Alpes transgressos consitisse in Libuis; vbi inquit, nũc Brixia, & Verona est; Saluios quoque secutos, antiquam gentem Leuos Ligures, circa

Tici-

Ticinum incolentes, expulisse. Boios deinde, Lingones, Senones aduenisse; omnia denique inter Apenninum, & Alpes occupasse. Iustinus ab Gallis nõ Mediolanum solũ, sed Comum etiam, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentũ, Vicentiam, Tuscis pulsis, conditas esse, ex Trogo Pompeio memoriæ prodidit. Paulus Diaconus etiam Ticinum vrbem ab eis conditam scribit; quãquam vt homo, qui multis post sæculis scripsit, in eo errare videatur, vt pro Belloueso eorum Gallorum duce, qui in Italiam venerunt; Brennum nominet eorum ducem, qui Romam cœperunt. Cum igitur Galli hanc totam Italiæ partem occupauerint, suasq; in ea sedes posuerint; & vniuersa dicta est Gallia Cisalpina, seu citerior; & eius partes veteribus ferè nominibus omissis, Gallica nomina receperunt. Regionem, & quæ gentes in ea essent, ita distinguit Polybius: inter Padum, & Alpes, quæ pars appellata est transpadana, primo collocat Laos, qui leui putantur; mox Lebecios; deinde Insubres; post eos vero Cœnomanos: loca mari Adria- lib. 20. ad fin.

tico

tico vicina Venetis relinquens. In altera parte, quæ est inter Padum, & Apenninum, primò ponit Ananes, posteà Boios, inde Eganes, postremò iuxta mare Adriaticum, Senones. tot nationes, tum indigenæ, tum Gallicæ, in has tantum ex Polybij sententia euasere. sed hæ ipsæ ad quattuor fere, quantum ex veteribus historijs apparet, posteà redactæ sunt, seu in eas transfusæ, Senones, Boios, Cœnomanos, Insubres: ex quibus Insubrum tantummodo nomen ex veteribus *Italis* mansit. Quid autem ipsis populis *antiquis* factum sit, dubiũ videri potest. Sed credibilius est, mansisse, & vnacum barbaris habitasse, sicuti posteà de Longobardis euenit. nimirum ob eius fertilitatem hæc fuit Italiæ cõditio; vt exteri locorum commoditate capti, in eam se se, suis relictis sedibus, inferrent. ipsa exteros quidem subiugaret; sed suas nollet mutare sedes. ac tãta est cæli clementia, & regionis, vt ita dicam, humanitas: vt illatam barbariem semper temperaret, & ad humanitatem paulatim perduceret: quamquam et illud in eo genere profuit,
quòd

quòd magna ex parte barbarę gentes po-
ſte in bello victæ, etiam pulſæ, & eiectæ
ſunt. Tuſcorum tamen multitudo; vt
Trogus, Liuiuſque docent; non manſit:
ſed Gallos fugiẽs ducẽ Rhæto Alpes pe-
tijt; vnde Rhæti extiterunt: qui contra
locis ipſis alpinis, vt ait Liuius, efferati;
linguæ ſonum tantummodo, eumque nõ
incorruptum retinuerunt. eorum me-
tropolis nunc Curia eſt trans Alpes ſita.
3 Ducentis prope annis Galli Romanos
acerrimis, periculoſiſsimiſque bellis fati-
garunt. primo ſubiugati fuere Senones
anno ab vrbe condita quadringẽteſimo
ſeptuageſimo; ad quos noſtræ metropo-
lis ius poſteà perueniſſe nõ reperio: nam
& ea pars ſtatim vſq; ad Rubiconem Ita- Sigon. in fast. ann. 470.
liæ adiuncta eſt, Galliæq; adempta. Boij
deinde ſuperati ſunt anno quingenteſi-
mo vigeſimo octauo, & ad deditionem
compulſi. demum autem Inſubres: nam
Cœnomani legationibus Romanorum
deliniti, amicitiam pop. Roma., vt Po-
lybius ait, ſocietati Gallorũ prætulerunt.
Inſubrum ingentem nationem idem au-
ctor appellat; ac rę ipſa demonſtrat. ſcri-

bit

bit enim, cum Galli reliqui, vel à Romanis iam victi essent, uel eorum socij effecti: Principes Insubrum cum Romanis decernere statuisse: & signis aureis quibusdam è templo Mineruæ sublatis, quinquaginta hominum millia aduersus Romanos, immo & contra Gallorum partē, profectos fuisse: victos bellum redintegrasse, conductis è transalpinis regionibus Gessatarum triginta millibus. Consules autem Romani cū exercitu in *Galliam* profecti, vrbem Gallorum *Acerras* oppugnarunt; eam Gaudentius *Merula* putat fuisse, quæ nunc nobilis est vicus in diœcesi Nouariensi vltra Ticinum amnē, & Ceredanum dicitur; Tristanus verò in Padi ripa vrbem fuisse putat. Insubres cōtra ad Clastidium oppugnandū, quod non multo ante in potestatem Romanorum venerat, se se contulerunt. Marcellus consul, collega ad Acerras relicto, ad liberandum Clastidium profectus, eos Virdumaro Rege interfecto superauit: deinde Mediolanum cępit anno ab vrbe cōdita quingentesimo trigesimo primo. Polybius, Plutarchus, Zonaras, & alij

lib. 1. de ant. iu. It. cap. 24.

aucto-

auctores. Insubriam, Sigonius obseruat, a Ticino ad Ollium flumen; item ab Alpibus ad Padum pertingere: Acerras quoque, & Nouariam vltra Ticinum, item vltra Padum tenuisse Clastidium videtur; sed est etiam verisimile pro bellorum varietate, has gentes suos fines nonnihil varios habuisse. Præcipuam vero Insubrũ ciuitatem Mediolanum, & Polybius idem appellat, & ratio huius postremi belli demonstrat. Polybium secutus Strabo Mediolanum fuisse dicit Insubrum Metropolim: & pagum tamen; quòd Insubres primò per pagos habitarent. in quo significasse videtur, quæ Polybius scribit de moribus Gallorum, quos tamen satis cito moderatos Italiæ humanitate fuisse, dubium non videtur. Suo vero tempore, hoc est Paulo ante Christum natum, Mediolanum insignem dicit fuisse vrbem; ἀξιόλογον πόλιν. Plutarchi verba victoriam Marcelli narrantis, hæc sunt latinæ reddita, Hostibus magna ex parte cęsis, lectisque spolijs, reuertitur ad collegam, cui res aduersus Gallos bellum gerenti, ad vrbem

lib. 5. in descript. Ital.

In vita Marcelli.

Galliæ maximam, & frequẽtiſsimam (Mediolanum vocant) male cedebat. hãc Galli Ciſalpini pro capite habẽt, ita Plutarch. pro capite græca nomen habent Metropolis. hæc ſunt græca verba, πόλιν μεγίστην, καὶ πολυανθρώποτάτην ἐκ μητρόπολιν. Porro ex Plutarcho, alijſque perſpicitur, quoſdam ex noſtris non omnino male ſcripſiſſe quodam tempore Mediolano Reges fuiſſe: ac ſplendidiſsimum quidem, auróque, & argento ornatiſsimum Regẽ Virdumarum eodem loco Plutarchus deſcribit. Poſt Marcelli victoriam, *Gallia* ciſalpina prouincia facta eſt: miſsique deinceps cum imperio, qui eam regerent: quamquam multis etiam poſt annis, varios magnoſque tumultus Galli excitarũt; ac Annibalem in Italiam tranſgreſſum contra Romanos ita adiuuarunt; vt eorum exercitum ad Ticinum amnem præclara is victoria fuderit. De ciuitatibus Galliæ, quæ præter quarumdam ſuperius tactam originem memorari poſsint, quantũ equidẽ pro argumento propoſito reperi hæc fere ſunt que ſequuntur. ac quamuis

Sigon. lib. 1. c. 24. de antiq. iu. Ital.

uis totius fere Galliæ, & Liguriæ vrbes (vti mur nunc antiquis nominibus) ad Mediolanensem Metropolim ex narratis pertinuisse videantur; non omnes tamen subtiliter persequar; sed eas præcipue, quas alijs argumentis in Metropoli contentas esse postea demonstrabo. Vltra eam, quę Boiorum fuit, regionem, non videtur Metropolis ius esse perductum. In hac verò, quæ etiam Gallię togatæ nomen habuit, hę fuerunt ciuitates, Bononia, Mutina, Parma, Placentia, Cremona; Coloniæ, varijs temporibus, a Romanis deductę, vel præsidio contra Gallos, vel vt in loca de Gallis capta Romana gens propagaretur: de quibus nihil fere insigne suppetit, quod ex antiquitate referatur; nisi Placentiam, & Cremonam illustres vrbes à Strabone appellari, Mutinam a Cicerone dici prę sidium, ac propugnaculum Pop. Rom, aliæ vrbes fori nomine sunt appellatę, quod sedes iuris dicendi, vel nundinationis ibi a Romanis constituta esset. Forū fuit Regium Lepidi; & Cornelij, quæ vrbs deinde Imola dicta est. de Fauentia,

In Phi- lipp.

 alijs-

alijsq; nonnullis eiusdem regionis nihil habeo quod proferam, vrbes nonnullæ periere, vt Brixillum: loca post Placentiam, quibus locis Polybius Ananes videtur collocare, Plinius, & alij Liguribus tribuunt; vrbesq; memorant, Dertone, seu Dertonam, Astam, Aquas statiellorum, Albam Pompeiam. Dertonem insignem vrbem appellat Strabo. Casalæ, & Alexandria nouæ vrbes sunt. Sed trans Apenninum, eorumdem ligurũ vrbes fuere; quoniam & ea pars quoque, vt apparebit, ad *propositum* spectat; Genua, quam Ligurum *emporium* dicit Strabo: Albium, Intemeliũ, Albium Ingaunum, Vadum sabatium memorat Plinius, alijque. Briniates meminit Liuius: Briniatum oppidũ postremo Episcopum habuit. Neque Alpinos populos, & earum vrbes omittere debemus. in Salassis Augustã prętoriã; aliam Taurinorũ; Augustã; quas Plinius colonias dicit. Eporediam à Cęsare Coloniam deductam cõtra Salassos Strabo ait: Plinius verò Sybillinis libris a Pop. Rom. condi iussam. firmissima tamen transpadanę regionis mu-

lib.3.c.17

lib. 4.

lib. 17.

nicipia

nicipia Tacitus appellat, Mediolanum, lib. 3.
Nouariam, Eporediam, & Vercellas. Ticinum Strabo, & Tacitus simpliciter memorant. Comum, quoniam ad Insubres redimus, prius oppidum fuisse mediocre Strabo ait; a Pompeio magni patre postea instauratum; deinde a C. Scipione, colonis adductis, auctum: a Cæsare demum nobilitatum, & Nouocomum dictum. Laudem Pompeiam Coloniã putat Sigonius, lib. 3. c. 2. de iu. Ita.
coniectura ex nomine ducta; licet a Boijs ædificatam Plinius narret; qui quidem optandum esset; vt clariora, certioraue de huiusmodi antiquitatibus attulisset. ad Põpeium verò Cn. patrem nomen videtur referẽdum, qui alias deduxit colonias; idem verò Plinius Comum, Bergomumque dicit Orobiorum stirpem; ac Licinoforum quoque, & Barram, quę duo oppida perierunt: quorum, quę nunc sint vestigia, alij disputant. Cremæ nuper episcopus datus est, licet alteri Metropoli assignatus. Brixiam, vt quasi circuitu quodam ad eos veniamus, dixit Liuius Cænomanorum caput; Veronam vrbem magnam Strabo. lib. 32. col. 159.

Gallia prouincia facta, nihil reperimus; quamobrem Mediolanensis metropolis conditionem esse mutatam iudicemus, annorum fere ducentorum spatio vsque ad Imperatores; neque etiam postea, vt demonstrabitur; plura vero sunt indicia, præstantiam eius, quæ potuit in tali statu seruari, perseuerasse. Conuentus ab eis qui prouinciam obtinerent, ibi actos, iusq; dictũ; Prætoresque, ac procons. ibi resedisse; & est verisimile ex conditione vrbis; &

c.26.lib.1. Sigonius scripsit in ijs, quos de antiquo iure, & de regno Italię, conscripsit libris. C. certe Cæsarem, credibile est, etiam opportunitate transalpinę Galliæ regendæ, quemadmodum, & posteris temporibus Imperatores, ibi conuentus eos

lib.1.infi. lib.6.in fi. egisse; adquos, vt ipse scribit, citra alpes veniebat; quam ad rem aliquo modo facit, quod de eius magna modestia Mediolani adhibita Plutarchus narrat; cum apud Valerium Leonem cęnasset. Ac procons. hic moratum fuisse, iusque dixisse, Suetonius ostendit, de C. Albutio Silo Nouariensi rhetore agens; In cognitione cędis,

Declar. rhetor.

inquit,

,inquit, Mediolani apud L. Pisonem Pro-
,consulem, defendens reum; cum cohibe-
,rent lictores nimias laudantium voces; ita
,excanduisset; vt & deplorato Italiæ statu,
,quasi iterum in formam prouinciæ redi-
,geretur: M. insuper Brutum, cuius statua
,in conspectu erat, inuocaret, legum, ac li-
,bertatis auctorem, ac vindicem; pene pę-
,nas luit. Bruto posita videtur statua, cum
Galliam magna cum virtutis laude antea
administrasset. eam Plutarchus statuam
æream fuisse ait affabre factam. quam Cæ-
sar Augustus, postea cum Mediolani vi-
disset, præterijt. mox subsistens vocauit
Magistratus; fractam sibi fidem questus
est; Mediolanenses hostem suum apud se
habere. negabant illi, vicissimque admi-
rantes, se se intuebantur. conuersus Cęsar
ad statuam; nonne hic stat, inquit, hostis
noster. obmutuere illi. at Cæsar arridens
eos laudauit; quòd amicis etiam in aduer-
sis rebus fidem suam præstarent: iussitque
ne statua suo loco moueretur.
4 Hic agendum erat, quoniam ad salutis
tempora ventum est, de huius Metropoli-

Cõparat. Dionis cũ Bruto.

ticæ vrbis ecclesiastica dignitate: sed cum de ijs ornamentis agere ceperimus; quæ ab Imperatoribus ad conseruationem excellentiæ suæ habuit; prosequemur alia quasi præcurrentes, quæ in hoc genere præcipua nobis occurrunt: deinde ad ecclesię initia reuertemur. Imperatores ergo Augusti morem secuti sunt, quem Suetonius scribit ob quędam transalpina bella, vt vel interueniret, vel non longe abesset; Rauennam, aut Mediolanum, aut Aquileiam venisse. & vt quęque *pars erat* prouincię, vnde bellum oriebatur, commodior; ita in ea parte, quæ amplissima vrbs, & Imperatorię Maiestati magis apta videbatur, eligebant, in qua commorarentur, & bellica negotia tractarent. omnino Mediolani multum fuisse Imperatores; regijsque ornamentis decoratam fuisse vrbem; & ita suam retinuisse in tota regione pręstantiam; certissimis demonstratur argumentis. Mittamus quod Blondus generatim ait; post Marcelli triumphum, vrbem Mediolanum adeo pacatam, florentemque fuisse; vt Nerua, Traianus,

Vit. Aug. cap. 20.

In Lõbar.

Adria-

Adrianus, & alij deinceps Rom. Principes, quoad per occupationes licuit, Mediolani habitauerint: nosque attingamus singula: grauia tamen: non enim placet, historicorum loca quasi mendicare, quibus appareat, aliquem ex Imperatoribus Mediolani fuisse; aut etiam ex ea ortum esse. illud fortasse non prętermittendum; vxorem Seueri, nondum tamen Imperatoris, Iuliam, filium Getam Mediolani peperisse, vt Spartianus auctor est. nō enim casu locus eligitur, vbi Principum virorū vxores pariant. Illud etiam ad rem videtur pertinere; quod scribit Orosius; Gallienum, cum rep. deserta Mediolani libidinibus inseruiret, occisum esse: licet alij circa Mediolanum occisum scripserint. illud item; post eius mortem, Aureolum Imper. appellatum Mediolani cōsedisse. Sed multo illustrius, quod Mamertinus in Genethliaco Maximiani scribit, de vtroq; Imp. Diocletiano, & Maximiano loquēs, cum Mediolanū traiectis alpibus venere: lib.7.c.22

,Quale, inquit, pietas vestra spectaculum

,dedit cum in Mediolanensi palatio admis

sis,

,sis, qui sacros vultus adoraturi erant, *con-*
,specti estis ambo; & consuetudinem sim-
,plicis venerationis geminato numine re-
,pente turbastis, nemo ordinem numinum
,solita secutus est disciplina; omnes adoran-
,di mora restiterunt, duplicato pietatis of-
,ficio contumaces. Atque hęc quidem ve-
,lut interioribus sacrarijs operta veneratio
,eorum modo animos obstupefecerat, qui-
,bus aditum vestri dabant ordines digni-
,tatis, vt vero limine egressi per mediam vr-
,bem simul vehebamini, tecta ipsa se, vt au-
,dio, pene commouerunt, *omnibus viris*,
,fœminis, paruulis, senibus; aut per fores
,in publicum proruentibus, aut per supe-
,riora ędium limina imminentibus, clama-
,re omnes præ gaudio, iam sine metu ve-
,stri; & palam manu demonstrare: Vides
,Diocletianum, Maximianumque? vides?
,ambo sunt, pariter sunt, & paulò infra.
,Ipsa etiam gentium domina Roma, im-
,modico propinquitatis vestræ elata gau-
,dio, vosque e speculis suorum montium
,prospicere conata, quo se vultibus vestris
,propius expleret, ad intuendum cominus,

quan-

,quantum potuit, accessit: lumina siquidē ,Senatus sui misit beatissimæ illi per eos ,dies Mediolanensium Ciuitati, similitudi- ,nem maiestatis suæ libenter impertiens; ,vt ibi tunc esse sedes imperij videretur, ,quo vterque venerat Imperator: hęc Ma- mertinus. Sed ea lętitia versa est in luctū Mediolanensibus, pijsque omnibus, cum sęuissimi principes cœperunt christianos vbique persequi. Traditur Maximianus regia multa monimenta Mediolani reli- quisse, quippe qui etiam Mediolanensis à quibusdam dicatur. imperium certe ibi deposuit. ac etiam cū Massiliæ iussu Con- stantini strangulatus esset, eius cadauer Mediolanum delatum est; de cuius sepul- chro S. Ambrosius commemorat in episto la ad Theodosiū. Delegit eandem vrbem Constantinus, in qua sororis Constantiæ nuptias celebraret, quam Licinnio in ma- trimonium collocauit, vt Zosimus scribit. quam quidem regiam celebritatem vere lætam, ac iucundam, Mediolanensibus effecit Constantini pietas. Sed iam pene superuacaneum videtur afferre plura, vt Impe-

Zon. & alij.

Sigon. de imp. occ. lib. 2. 309.

ep. 34.

lib. 2.

Imperatores demonstremus Mediolani, tamquam in primaria, atque amplissima ciuitate frequenter, ac diu moratos esse, regiasque celebritates egisse. nam de reliquis etiam Imperatoribus perfacile est, idem ostendere; Cōstante, & Constantio filijs, Iuliano, Valentiniano seniore, ac iuniore, Gratiano, Theodosio, Honorio: quemadmodum ex Ammiano Marcellino; & S. Ambrosio, alijsque scriptoribus passim vnusquisque potest facile cognoscere. Aedificia publica regio *splendore* ibi posita idem plane *demonstrant*. *Palatium* Imperatoris iam prodidit Mamertinus: adiungas licet Ammianum; qui Constantij res gestas narrans, & eum ipsos annos Mediolani habitasse ostendit; & regiæ mentionem facit, in qua ille morabatur. ibi etiam Iulianum Cęsarem fecisse, & ei Helenam sororem in matrimonium dedisse; vnde etiam in Germaniam abeuntem Constantius ipse comitatus est vsque ad locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interiacebat, & Ticinum. qui quidem locus nunc nullus est. Palatium re

lib. 15. & 16. lib. 15. 1448. & 1456.

gium

gium à Traiano factum quidam meminerunt. vtcumque sit, ante Maximianũ fuisse Mamertinus ostendit. Verum paucis Ausonij poetę versibus, qui Gratiani pręceptor fuit, & vir consularis, narrationem hanc concludemus: qui de claris orbis totius vrbibus cõmemorans, post Romam, Carthaginem, Constantinopolim, Antiochiam, Alexandriamque, sextam quidem homo Gallus Treuerensem ponit, Mediolanensem vero septimam: de qua honorificentius non videtur ferè dicere potuisse, ac satis erat, primo versu, omnia Mediolani esse mirabilia dixisse: & vltimo, omnia excellere, ita vt Romę non cederet: sed enumerat multa tamen his verbis:

Et Mediolani mira omnia: copia rerum:
Innumeræ, cultæque domus: facunda virorum
Ingenia: antiqui mores: tum duplice muro
Amplificata loci species: populique voluptas
Circus; & inclusi moles cuneata theatri:
Templa; palatinæque arces; opulensq; Moneta;
Et Regio Herculei celebris sub honore lauacri;
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis:
Męniaque in valli formam circumdata limbo.

Omnia

,Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
,Excellunt; nec iuncta premit vicinia Romæ.

Quorum quidem monumentorum, temporis, & hostium iniuria consumptorum; quędam vestigia adhuc manent. nam *locus* est, vbi ad Palatium dicitur; vbi ędes est magna S. Georgij nomine dicata: alius vbi ad Monetā, vbi ecclesia est S. Matthęi: alius ad Circum, vbi S. Mariæ: alius ad Theatrum, vbi S. Victoris ecclesia est. Verum de his satis, si pauca posteriorum scriptorum testimonia addiderimus; & *primo* Gelasij Pontificis, circiter ann. fere quingentesimum; qui in epistola ad Dardanos: ep.xj. Imperatores Mediolani habitasse, ac sedem habuisse obiter affirmat: ,Numquid ,apud Rauennam, inquit, apud Mediola- ,num, Sirmium, apud Treuiros multis tem- ,poribus nō constitit Imperator? numquid ,harum vrbiū sacerdotes vltra mensuram ,sibimet antiquitus deputatam, quippiam ,suis dignitatibus vsurparunt? Iornandes Gotthorum episcopus, qui vixit sub Iustiniano Imper. hoc est circa ann. D. quingentesimum sexagesimum de Hunnis loquens;

quens; Mediolanum, inquit, liguriæ metropolim, & quodam regiam vrbem pari tenore deuastant: nec non & Ticinum equali sorte deijciunt. quid autem liguria tum contineret, postea apparebit. Procopius eiusdem temporis grauissimus scri-lib. 2.
,ptor grecus, prima, inquit, inter occiden-
,tis vrbes post Romam esse hec ciuitas (Me-
,diolanum) creditur; & facile ceteras ante-
,ire, vt magnitudine, ita & hominu copia,
,reliquisque item fortune bonis. Ac infe-
,rius eadem repetens, addit; Aduersus Ger-
,manos, & Barbaros alios propugnaculum
,est; &, vt ita dixerim, pro obice totius
,imperij Romani exposita. idem vero tradit inferius, vt vrbis magnitudinem agnoscamus; cum a Gotthis capta est, in ea virorum tercenta millia fuisse trucidata, quo in numero mendum suspicatus, Sigonium tamen eadem referentem legi. nunc ad ecclesie initia redeamus.

5 S. Barnabam huc sacrosanctum Euangelium attulisse, plures sunt auctores, non ij tamen omnes, de quibus ex nostris quidam, & Petrus quoque Galesinus in nota-

tionibus

tionibus ad martyrologium, affirmarunt. sed scripsit id Dorotheus Episcopus Tyri græcus auctor in Synopsi. item Hippolitus Martyr, vt refert in notationibus Martyrologij Romani doctissimus, atque optimus Baronius meus. post hos autem antiquos auctores plures alij scripsere, Blondus, Sigonius, Baronius idem in annalibus. præterea traditum est à maioribus, mandatumque litteris, non solum in Mediolanensi, sed in alijs quoque prouinciæ ecclesijs, Brixiensi, Bergomensi, Taurinensi, confirmantq; templa in ipsis vrbibus, & alijs regionis locis eidem dicata. tum mõs etiam S. Barnabæ, prope Alpes de quo Bonauẽtura Castilioneus. Immo etiam quod argumentum haberi debet admodum graue; in Albingaunensis ecclesiæ libro veteri manuscripto, die vndecima Iunij huius Apostoli proprium officium, pluresque hymni habentur; quibus continetur; totã etiam regionem illam Ligusticam ab eo fuisse primo illustratã: cuius officij exemplum apud nos est. Monumentum præterea huius rei nobis pulcherrimũ reliquit

In Lõbar. de regn. Ital.

De antiq. Susubrũ. led.

An-

Andreas Alciatus: quod etiam N. Fonteius seu Fontana Mediolanensis ex volumine quodam Saxonico in Germania sumpsit, sunt autem carmina ad fontem S. Barnabæ olim Mediolani posita a S. Protasio veteri episcopo Med., quæ putantur in excidio vrbis fracta, & ab nonnullis exscripta sunt vero hæc:

, *Hunc fontem tibi dedicat, atque Deo super vndis*
, *Consecrat impositam famulus Protasius aram,*
, *Qua Ticina silex, & Martia porta, beate*
, *Barnaba, te ligures aduectum nuper in oras*
, *Audijt hortantem cætus, & ritæ Lauantem*

Deest versus.

, ... *flamine victo;*
, *Vt per te tua plebs Lustrali admota sacello,*

Alciatus sic habet frequentes versus,

, *Quàm facies est alba vrbi, quam candida genti,*
, *Tam niueis animus colat intra mœnia Christum.*

Fonteius autem sic

, *Atque hæc præcipue colat intra mœnia Christum*
, *Vrbs Mediolani ante Italas ingentior vrbes.*

Hic vero fons apud Ticinensem portã eo nomine pie adhuc Mediolani visitur; quòd in eo S. Barnabas multos ex Mediolanensibus baptizauerit.

Ex duobus autem, quæ demonstrauimus;

mus; profana vrbis antiqua dignitate:& Apostolico S. Barnabæ officio ei tributo; vehementer cõfirmatur, id quod alioqui dubium non est; ecclesiastica, Metropoliticaque, ab initio vsque Mediolani dignitas. non dico, ex dignitate vrbiũ profana, statim consequi ecclesiasticam; quã quam principum virorum opera, & eorum qui possunt concessione, id plerumque consequitur: S. Leo ad Martianum Augustum de Anatolio Constãtinopol. episcopo agens, qui sedem suam ꝙ ciuitas esset regia alijs contra *veterum instituturum*, & Nicena decreta præferebat;

Quorũ alterum alteri fidem facit.

Ep. 54.

, Habeat, inquit, sicut optamus, Constanti
, nopolitana ciuitas gloriam suam; ac pro-
, tegente dextera Dei, diuturno clemen-
, tiæ vestræ fruatur imperio. alia tamẽ ra-
, tio est rerum sæcularium, alia diuinarũ.

& Gelasius eadem de re agens in epistola iam memorata ad Dardanos: Risimus

, autem, ꝙ prærogatiuam volunt Acatio
, comparari, quia Episcopus fuerit regiæ
, ciuitatis. numquid apud Rauennã, apud
, Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros,

mul-

, multis temporibus non constitit Impera
, tor? numquid harum vrbium sacerdo-
, tes vltra mēsuram sibimet antiquitus de-
, putatam, quippiā suis dignitatibus vsur-
- parunt? &c. Licet hoc verum sit; negari
tamen non potest; Domini prouidētia,
qui suaui quadam ratione, & commoda,
sua omnia constituit, atque ordinat, ini-
tio plerumque euenisse; vt ecclesiasticus
principatus constitueretur, vbi erat sæcu
laris: & præstantiores euangelij prædi-
catores, ad prçstantiora quoque mitterē-
tur loca; præterquam, quod ex omni par
te id conuenire nemo non videt, & pe-
ne esse necessarium. nam neque loca oīa
subitò adire poterant Apostoli; & quæ
prima essent, ea primo adire, & ad aucto
ritatem firmius, & ad propagationem ex
peditius erat: itaque tum in Oriente, tū
in Occidēte videmus, quæ vrbes prouin-
ciarum præcipuæ, vel capita quædam fue
runt; eas ab Apostolis, vel apostolicis vi-
ris fere institutas; & vel Patriarchales,
vel Metropolitanas sedes antiquitus esse
cōstitutas. Antiochiæ, Alexandriæ, alia-

rumque; tū in Italia Rauennæ, ac Aquileiæ exempla sunt in promptu. immo in singulis prouincijs id reperire possent, quibus otium esset, vrbes; deinde etiam maiores episcoporum dignitates, cognoscere. Prudentissime igitur idem S. Leo
Ep. 84. in epistola ad S. Anastasium Ep. sine dubio memor, quid de Constantinopolitani Antistitis alioqui temeritate sentiret; sic ait: Quibus (episcopis) cum sit dignitas communis, non est tamen ordo generalis: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris *fuit quædam* discretio potestatis: & cum omniū par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio: & magna dispositione prouisum est, ne oēs sibi omnia vendicarent; sed essent in singulis prouincijs, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidā in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnā Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam a suo ca-

pite

pite disſideret. ita S. Leo. Quo loco & maiorum vrbium in auctoritate Metropolitica conſtituenda habitam eſſe rationem; & in ſingulis prouincijs id factum fuiſſe, confirmat: tum duplicem etiã Metropolitæ auctoritatem tangit; primæ in ſacris conſultationibus ſententiæ; & amplioris in adminiſtratione eccleſiaſtica ſolicitudinis, in qua ordinandorum prouinciæ epiſcoporum cura, atque auctoritas includitur.. totam vero rem ad Apoſtoli cum inſtitutum referre S. Leo videtur: cui conſentiunt canones eccleſiaſtici, a Gratiano, & alijs allati. Atque ſingulas prouincias adminiſtratione eiuſmodi ab initio eccleſiæ rectas eſſe; ita ut & ad Metropolitani auctoritatem Epiſcopi, & eorum ordinationes, eccleſiæque omnes, nulla excepta, exemptaue, referrentur; veteres canones, quos breuitatis cauſſa non deſcribimus, Niceæ, Antiochię, Laodiceę, Sardicę, Carthaginis, Taurini, alijque demonſtrant: quibus Innocentij Pontificis, aliorumq; Pontificum decreta conſentiunt. Ex his omnino de- Diſt. 30. Nic. 16. Ant. c. 19. Laod. c. 12 Sardi. c. 5. & 7 Carth. 3. c. 7.

 cuit

Taurin. c. 1. Innoc. ad Victricum c. 1. in vita SS. Apost. Petri, & Pauli.

cuit & Apostolum Barnabam Mediolanum ad Galliam Cisalpinam euangelio illustrandam venire; & primam ibi prouinciæ ecclesiasticæ dignitatem institui. quinimmo si Metaphrasti credimus, *etiá* ipse Apostolorum princeps Petrus quandoque Mediolanum vidit. Atque Metropolitanæ dignitatis fundamenta ipso initio etiam ex eo videre licet; quòd *vt* apud nonnullas prouinciæ ciuitates *litteris* mandatum est; ipse S. Barnabas *Mediolano* ad eas venit, & ibi *quoque christianos* instituit. & non solum S. *Barnabas*, sed Anathalon quoq;, & Caius eius discipuli, & successores eò venerunt; ità vt Brixia Anathalonis etiam corpus sibi vendicet. eiusmodi autem ecclesiarum visendarum officiũ, Metropolitana quædam erat administratio, quemadmodum quidem ea rerum initia ferebant: neque enim subito christiana res vbique ita cõstitũi poterat, vt episcop⁹ dari posset aut deberet: vt potius ab alio episcopo amplioris frequentiorisq; loci regenda esset: quemadmodum hoc quoque tem-

pore

pore de plurimis oppidis euenit.
7 Quæ vero ciuitates tunc episcopum habuerint, difficile est affirmare: Mediolanensium quidem Episcoporũ a S. Barnaba continuata series habetur à multis iam edita: de qua nos alibi latius, sic De⁹ iuuet, acturi sumus. Brixiensis Ecclesia; vt de hac primo dicamus, quoniã vt Cœnomanorum caput, secunda ponenda videtur post Mediolanensem; episcopos suos nonnullos illius primi sæculi commemorat; idem facit Bergomensis, & Ticinensis: pleræque vero aliæ a tempore fere Constantini Imp. numerant Episcopos suos. sed illis euenit, vt cum primos episcopos primo tribuant sæculo, alijs deinde pluribus sęculis caruisse ostẽdant: id quod fortasse etiam ob vehemẽtes fidelium perpessiones aliquo spatio fieri potuit; nisi credibilius videatur, studio scriptorum, non satis plerumq; grauium id euenisse; qui ad vrbium suarum dignitatem pertinere putarent, primos episcopos antiquissimos habere ita Bergomenses fatentur ducentis annis Epi-

ſcopum non habuiſſe. Brixienſes id tacitè demonſtrant; cum epiſcopos tantũ numerãt quinque ante Philaſtrium, qui ſanctitate floruit circiter annum Domini tercenteſimum octogeſimum. Ticinenſes quoque ante Criſpinum primũ, quem ſub Leone Pontifice fuiſſe certum eſt,vt ex epiſtola Synodica ad ipsũ Leonem inferius apparebit, Syrum tantummodo,cum Iuuentio, ac Pompeio eius diſcipulis, ſeu ſocijs, & Vrſicenum ponunt. igitur quattuor Epiſcopos *ſolum* habuerunt annis amplius quadrigentis quinquaginta. quos omnes cum ad prima Eccleſiæ tempora, Ticinenſes referunt,reliquis ſæculis eccleſiam Epiſcopo ſpoliant. At tempore S. Ambroſij hoc eſt circiter annum tercenteſimum octogeſimum epiſcopum habuit Eccleſia Ticinenſis, quem ſanctum idem Ambroſi⁹ in libris officiorum appellat. neq; omnino veriſimile eſt, per ea tempora,quibus Eccleſiæ paganorum ſęuitia liberatæ floruerunt,urbem aliquam modo nõ ignobilem epiſcopo ſuo caruiſſe. Neque pu-
tet

tet quis Chrispinum secundum Leonis tempore fuisse: sed primum. nam Epiphanius, Maximus, & Enodius ante Crispinum alterum fuerunt, vt etiam Ticinẽses scribunt: & ijdem tamen fuere post Leonis tempus. Mihi quidem probabile semper visum est; Euentium Episcopũ Ticinensem tempore S. Ambrosij fuisse: quem Ticinenses dicunt Inuentium, cũ facilis sit mutatio: idque ea coniectura quam postea Baronio meo in notationibus martyrologij, & recte probari uidi; & haud merito mea quidẽ sententia deseri: quid enim si aliud statuerant, qui Ambrosium nuper emendauerant? an necesse est omnino eos recte emendasse? coniectura autem hæc est: epistolæ synodicæ S. Ambrosij ad Syricium Pontificem inter alios episcopos subscripsit Euentius, nullo vrbis adscripto nomine; sicuti neque alijs. idem nomen Aquileiensi synodo, cui S. Ambrosius interfuit subscriptum est, adiecto nomine ecclesiæ, sed corrupto: legitur enim duobus modis, Citiniensis, & Tiniensis emenda

tores

tores operum S. Ambrosij Cenetensem fecerunt Euentium in ea epistola; argumento ex subscriptione Aquileiæ synodi ducto; nam neque in veteri exemplari eorumdem operum Basilicæ Ambrosianæ nomen Ecclesię Euentio adiectum est, neque arbitror in alijs exẽmplaribus, quæ alibi habentur. Sed vt id non probem, duo præcipuè faciunt: alterum *est*, quod non video cur Cenetensis episcopus, qui sub Aquileiẽsi Metropoli omnino esse oportebat; Mediolanum *venerit*, vt Mediolanensis Ecclesiæ *epistolæ* subscriberet: alterum est, quod Cenetensis episcopi mentionem equidem nõ inuenio, nisi post annos ab synodo Aquileiæ tercentos in sexta synodo generali. ipsa etiam corrupta verba proximiora videntur Ticinensi nomini, quam Cenetensi. Itaque rursus emendandum locũ arbitror, in libris tum Ambrosianis, tum epistolarum pontificiarum Romę nuper editarum: vbi alia etiam quædam nomina malè adiecta puto. Historia quidem Syri, & Euentij, quę a Mombritio iampri

dem

dem, nuperque in ſeptimo ſanctorum tomo auctior edita eſt, ad Veſpaſiani, atq; adeo Neronis tempora Euetium refert. quam hiſtoriam ſecutus eſt Ado. ſed ea longe poſt id tempus, de quo ſignificat ſcripta eſt, quemadmodum legenti apparet: nam & Papiæ nomen habet. & alias etiam ob cauſſas, doctis auribus non ſatis fidei in multis facit: & illud etiam obſtat, quod paulo ante dixi; nullum relinqui epiſcopum ſæculo S. Ambroſij, quē tamen non defuiſſe, & ratio ſuadet, & S. Ambroſius affirmat. Afferrem ipſarum quoque Ticinenſium hiſtoriarum auctoritatem; quæ habent Inuentium contra Arianos decertaſſe; niſi eas in ceteris antiquis rebus viderem nimis hallucinari. Sed de his hactenus; neque enim Eccleſiarum, quæ ad metropolim Mediolanēſem pertinent, plenam hiſtoriam contexere inſtitui; ſed aliqua tantum commemorare, quæ ad ipſam Metropolim demonſtrandam in primis ſunt accomodata: & vero etiam tæderet propriam vrbium hiſtoriam inueſtigare: cum ſupe-

rio-

rioribus sæculis, atque etiam nostris, qui dam, non opinor mala mente; sed rebus ijs certe destituti, quæ ad scribendam historiam necessariæ sunt, patriarum rerum immoderato quodam studio incitati, eiusmodi historias plerisque in locis corruperint; ex quorum nugis vix potuere docti viri, si qui negotium sumpserunt, vera quæ inuoluerentur, excerpere quorum apud nos quidem vnus fuit ante annos ferè centum Tristanus *Chalcus*, rerum non solum Medio*lanensium*, sed etiam Italicarū scriptor *grauissimus*; vt omittam Alciatum illum, cuius doctrina vbique peruulgata nostro nō indiget testimonio.

8 Nunc actiones Metropoliticæ Episcoporum, qui S. Barnabæ successerunt cōmemorandæ sunt: quamquam difficile fuerit in episcopis illis priscis vsque ad Constātinum propter afflictationes assiduas fidelium; scriptorumque summam penuriam. Sed, vt alios auctores omittā, Tristanus noster scribit, tempore Commodi imp. à S. Calimero Episcopo Me-

dio-

diolanensi, qui ad vniuersæ liguriæ fidē, salutemque multum traditur contulisse; Dertonensibus datum Episcopum Martianum eius discipulum. nam, vt dixim⁹, insignem vrbem Dertonē appellat Strabo: deinde à Materno, qui ad res eius ecclesiæ recognoscēdas eo se contulit, Maliodorum Dertonensem Leuitam. qua ex re antiquissimum equidem prouinciæ episcopatum Dertonensem puto.
Alia non occurrit actio, quæ ad propositum argumentū pertineat vsque ad Constantij Constantini filij tempus, cuius Imperatoris iussu, & seditiosorum quorundam episcoporum instigatione, qui Principis animum corruperant, in varijs prouincijs conuocata sunt concilia, nomine quidem ad S. Athanasium condemnandum, sed re uera ad impietatem Arianā insinuandam: vt vel pios episcopos, & populos cum eis ad eam perducerent; vel si repugnarent; eis pulsis, Arianos intruderent; sicuti re ipsa Mediolani pulso Dionysio, Auxentium Cappadocem non episcopum, sed violentum ecclesiæ
occu-

Lib. 3. de spi.s.c.11. occupatorem, ut S. Ambrosius ait, constituerunt; qui quidē vnus Arianus Mediol. Ecclesiam cōpluribus annis oppressit. Dionysius igitur cum esset episcop⁹; Vrsatius, Valens, & alij quidam episcopi exteri homines Constantij auctoritate etiam Mediolani, vt in Metropoli, concilium haberi curarūt. Eusebius tum viuebat, Episcopus Vercellēsis magnæ sanctitatis, nominisque sacerdos; Mediolanumque ad eum conuentum venire recusauerat; quod fortasse rem totam melius nosset, quę ab impijs illis tentabatur. sed adduxerunt eum tandem vt veniret. narremus vero quid acciderit ipsi⁹ S. Hilarij Pictauensis Episcopi verbis, qui tum fuit ex præcipuis fidei catholicæ propugnatoribus:

Libellū ad Constantium.

, Venio nūc, inquit, ad id qđ
, recens gestum est; in quo se etiam pro-
, fesio sceleris in secreto artis suæ dedi-
, gnata est continere. Eusebius Vercellen
, sis episcopus vir est omni vita Deo ser-
, uiens. hic post Arelatensem synodum,
, cum Paulinus Episcopus tantis istorum
, sceleribus contraisset; venire Mediola-

num

, num pręcipitur, collecta iam illic mali-
, gnantium synagoga. decem diebus ad
, ecclesiam est vetitus accedere, dum ad-
, uersus tam sanctum uirum malitia se per
, uersa consumit. Soporatis deinde con-
, silijs omnibus; vbi libitũ est, aduocatur.
, adest vna cum Romanis Clericis, & Lu-
, cifero Sardiniæ episcopo. Conuentus vt
, in Athanasium subscriberet, ait, de sacer-
, dotali fide prius oportere constare; cõ-
, pertos sibi quosdam ex ijs qui adessent,
, hæretica labe pollutos. expositam fidem
, apud Nicæam, cuius superius memini-
, mus, posuit in medio, spondens omnia
, se quæ postularent, esse facturum, si pro
, fidei professione scripsissent. Dionysius
, Mediolanensis episcopus chartã primus
, accepit. vbi profiteri scribendo cœpit;
, Valens calamum, & chartam e manibus
, eius violenter extorsit; clamans non pos
, se fieri, vt aliquid inde gereretur. Res
, post clamorem multum deducta in con-
, scientiam plebis est. grauis omnium do-
, lor ortus est: impugnata est à sacerdoti-
, bus fides. Verentes igitur illi populi iu-

dicium

, dicium, e Dominico ad palatium tran-
, seunt. cuiusmodi sententiam in Euse-
, bium longe antequam ecclesiam ingre-
, deretur, scripserint, de se loquitur ipsa
, sententia. hæc Hilarius. Sulpitius item
Lib.2. hist. 159. Seuerus Episcopus Bituricensis, qui eo-
dem fere vixit tempore, idem narrat,
, hoc modo. Interea Mediolanum conue
, nitur, vbi tum aderat Imperator. eadem
, illa contentio nihil inuicem relaxabat.
, tum Eusebius Vercellensium, & Lucifer
, à Caralis Sardiniæ, episcopi relegati. ce-
, terum Dionysius Mediolanensium sacer
, dos in Athanasij damnationem se cōsen
, tire subscripsit, dummodo de fide inter
, Episcopos quæreretur. Sed Valēs, & Vr-
, satius, ceterique metu plebis, quæ catho-
, licam fidem egregio studio cōseruabat,
, non ausi piacula profiteri, intra palatium
, congregantur. illinc epistolam sub Im-
, peratoris nomine emittunt omni praui-
, tate refertam, eo nimirum consilio, vt si
, ea æquis auribus populus recepisset, pu-
, blica auctoritate cupita proferrent. Sin
, aliter fuisset excepta; omnis inuidia es-
set

,set in rege, & ipsa venialis; quia etiam ,tum catechumenus sacramentum fidei ,merito videretur potuisse nescire. Igi- ,tur lectam in ecclesia epistolam populus ,auersatur. Dionysius quia non esset as- ,sensus, vrbe pellitur; statimque eius in locum episcopus subrogatur. ita Seuerus. Ex his obseruare licet loci dignitatem episcopi Mediolanensis, vt Metropolitanis qui primus in conuentu episcoporum, chartam accepit, vt fidem profiteretur. quæ res confirmatur ex eo, quod S. Athanasius de eodem negotio in apologia scripsit; quem Theodoretus, Sozomenusque secuti sunt: Dionysium Italiæ Metropolitanum, seu vt alij, Mediolani primariæ vrbis Italiæ Episcopum vna cũ alijs à Constantio imper. in exilium eiectum: quod autem Sozomenus Mediolanum Albam nominet; ne quis miretur, in scriptis quibusdam rerum nostrarum minime contemnendis idem nomen vrbis quandoque reperi. obseruandum est etiam: quod obiter dictum sit; additamenta quædam huius historiæ non posse

Apolo. de fuga 335.
lib.2.c.15.
lib.4.c.8.

probari, quæ multi ex sermone quodam
nu. 69. inter Ambrosianos posito, sumpsere: quem sermonem Maximo Taurinēsi plerique tribuunt: initium certe simile habet sermoni Maximi in festo S. Eusebij die habito; reliqua vero longe diuersa, vt ex editione sermonum Maximi Romana perspicitur. quis eius sit auctor, non facile dixerim. videtur quidem si quædam inspicias episcopi Vercellensis; & eius qui non valde remotus fuerit ab ætate Eusebij. si vero alia consideres; eius videtur, qui longe admodum ab eo sæculo fuerit; cum Eusebium dicat martyrem, quod veterum dixit nemo: immo res ab Eusebio, Dionisioque gestas vere ignorauerit, vt ipse quoque profitetur. quod enim ait, simulasse Eusebium se grauiter ferre, quod filium Dionysium in subscriptione sibi præposuissent, ij præsertim, qui filium Dei patri Deo ęqualem negarent; præter quam quod commentitium nescio quid, ac insulsum olet: repugnat ijs quæ attulimus ex Hilario, & Seuero, & omnino historiæ veritati; ne-

que enim Ariani Episcopi illi, se se Arianos dici patiebantur; aut filiũ patri æqualem palam negabant; quod tamquam rem manifestam inepte posuisset Eusebius: immo id ducebant grauis iniuriæ loco, quemadmodum notũ esse necesse est ijs, qui historiam eorum temporum non ignorant. catholicos, & Nicænæ fidei studiosos se fingentes, Athanasij tantùm condemnationem Episcoporũ subscriptionibus confirmari, callide curabant; vt eo quasi gradu ad impia contra fidem decreta progrederentur; vt ex Sozomeno Casiodorus dilucide narrat in tripertita. quod etiam ex ijs quæ Hilarius; Seuerusque dicunt, satis apparet. alioqui si studiose impietatem ij non occultassent, eos Mediolanensis in primis populus lapidibus obruisset, vt idem Hilarius aperte significat. Prætereo, quod licet ætate, vel etiam sanctitate potuerit Eusebius dici Dionysij pater; non ideo tamen erat, cur primum postularet in synodo subscribendi locum; contra quam etiam narrat Hilarius; non otiose affir-

Lib. 4. c. 8.
Lib. 5. c. 15

mans Dionysium primum chartam accepisse, vt profiteretur. Verum est, Dionysium contra Athanasium subscripsisse, vt etiam Lucifer Caralitanus his verbis testatur ad Constantium: Sed credo adhuc tentas negare, non te idcirco persequi nos, quia noluerimus christiani fieri Ariani. quomodo negare poteris, cum sanctissimum Dionysium Mediolanensium episcopum, qui iam tibi falsa credes damnauerat Athanasium, quod Arianus esse noluerit, miseris ad exilium? *subscripsit* inquam sed ita subscripsit errore facti deceptus, si de fide inter episcopos quæreretur: vt Seuerus ait. omnino hoc Dionysij factum satis excusant Patres, qui eum tam illustri sanctitatis laude afficiunt, ac potius restitisse condemnationi commemorant. Ac in eo fidei negotio curando primas tamen partes S. Eusebio tribuit S. Ambrosius; cum ait, Vt Eusebius sanctus prior leuauit uexillum confessionis; ita beatus Dionysius in exilij locis propiore martyribus titulo vitam exhalauit; ex huiusmodi vero

Pro S. Athan. lib. 2 105.

Ep. ad Vercell. 665.

sub

ſubſcriptione narratio illius ſermonis cō flata videtur; & in eo quaſi fundamento, vt fit, fabula ſucceſſu temporis extructa illius Euſebianæ artis.

9 Tranſeamus nunc ad metropoliticas S. Ambroſij actiones; cuius tēpore, quàm perrexerint Imperatores vrbem Mediolanenſem colere; ex ipſius ſcriptis; aliorumq; hiſtorijs facile omnes intelligunt. in his autem actionibus commemorandis ordinem temporis ſeruare minime profitemur. Atque occurrit primo Syricij Papæ epiſtola, quam ad Eccleſiam Mediolanenſem, hoc eſt ad S. Ambroſium, & epiſcopos prouinciæ Mediolanenſis dedit; ſignificans ſe damnaſſe Iouinianum, & alios quoſdam, qui virginitatem, ieiuniaque docebant eſſe reijcienda: vt hæreſim ipſi quoque damnarent. Reſpondit Ambroſius, etiam epiſcoporum ſuorum nomine; hæreſimque illam latius refutauit, damnauitque. epiſtolæ habentur in libris S. Ambroſij; in voluminibus conciliorum; nuper etiam inter Pontificias epiſtolas Romæ editas: quas

hic breuitatis caussa nõ exscribimus. sed epistolæ Mediolanensi subscripsere episcopi octo. Euentius, Maximus, Felix, Bassianus, Theodulus, Eustasij duo, Cõstantius; & Geminiani nomine Aper presbiter. postremo adduntur hæc verba;& omnes ordine subscripserunt. dolet non mediocriter veteribus exemplaribus nõ esse adiecta ecclesiarum; immo etiam reliquorum episcoporum nomina, quę deesse vltima verba demonstrant: vt Ecclesiæ possent priscos Sanctos patres suos agnoscere. Sed ex Aquileiensi concilio nonnulla possunt adscribi; cum illud sub Damaso, cui succesit Syricius, habitum sit, & S. Ambrosius interfuerit. quæ ratio nimis valuit apud eos, qui postremo Ambrosium Romæ ediderunt, vt superi⁹ tetigimus. quotquot enim nomina eadem vtroque loco viderunt, ijs locum ecclesiæ in concilio notatum apposuerunt: sed respiciendum erat, ad conciliũ Aquileiense conuenisse pluribus ex prouincijs episcopos; Ambrosium vero ex prouincia sua tantum conuocasse: vt licet

idem nomen eſſet; non idem tamen Epi ſcopus putandus eſſet, ſi non prouinciæ Mediolanenſis eſſet. Omnino autem pro babile videtur; Euentium eſſe Ticinenſem, ex ijs quæ ſuperius dixi: Baſsianum Laudenſem; Sabinum Placentinum; Felicem Comenſem; quos alioqui conſtat eo tempore fuiſſe. Arauſicanum vero, & octo durenſem epiſcopos Gallos; & Tudertinum ex Illyride, cur Ambroſius ad- de occid.
uocauerit? Geminianus pro quo Aper imp. lib. 9. ann. 381.
ſubſcripſit, Mutinenſis fuit, vt obſerua- ep. 82.
uit Sigonius.

Quod S. Ambroſius ad Vercellenſem eccleſiam ſcribit, quæ poſt Limenij mortem adhuc epiſcopo carebat; ſolicitudinem Metropolitanam, de qua S. Leo tangit, & veteres canones explicant; vt ſuperius notauimus, demonſtrat: Confligor dolore, inquit, quia eccleſia Domini quæ eſt in vobis, ſacerdotem adhuc non habet; ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Aemiliæ, Venetiarumque, vel ceteris finitimis Italiæ partibus, huiuſmodi eget officio, quod ex ea aliæ ſibi

, ecclesiæ petere solebant: & quòd vere-
, cundius est, mihi adscribitur vestra in-
, tentio, quæ affert impedimentum. nam
, cum sint in vobis dissensiones, quomodo
, possumus aliquid aut nos decernere, aut
, vos eligere, aut quisquam acquiescere
, &c. inferius vero, Conuenit igitur &c.
, modestiæ vestræ, & concordiæ insigne
, edere, vt congruatis assensu ad postulan
dum sacerdotem. hæc S. Ambrosius.
Ex quibus apparet, Vercellensium *fuisse*
eligere ac postulare episcopum, vt ijs
temporibus mos fuit; Ambrosij vero vt
Metropolitani decernere, ac ordinare:
Ep. 82. dist. 63. cap. vlt. de quo more S. Leo in epistola ad Ana-
stasium ita explicat: Cum ergo de sum-
, mi sacerdotis electione tractabitur, ille
, omnibus præponatur, quem cleri, ple-
, bisque consensus concorditer postu-
, larit; ita vt si in aliam forte personam par
, tium se vota diuiserint, Metropolitani
, iudicio is alteri præferatur, qui maiori-
, bus, & studijs iuuatur, & meritis &c.
, Interim vero S. Ambrosius illud saltem
, officij tribuit ecclesiæ Vercellensi; vt ad
con-

concordiam, ſanctam electionem, chriſtianamque diſciplinam longa epiſtola cohortaretur: tum etiam ad hæreſim illã cauendam, quæ, vt diximus, ab eo in Synodo damnata eſt, Audio inquit, homi-
, nes, qui dicunt nullum eſſe abſtinentiæ
, meritum, nullum frugalitatis, nullam
, virginitatis gratiam, &c. ſimul probat, quod ante diximus, Ambroſij tempore eccleſias epiſcopis ſuis non caruiſſe. Neque fruſtra liguriæ, Aemiliæ, Venetiarumque eccleſias, cum alijs quibuſdam Italiæ finitimis commemoraſſe videtur: quaſi eas omnes ſignificet ad Metropolim Mediolanenſem, & ita ad curam ſuam pertinuiſſe. Venetiæ tunc, etiam regionem quæ olim Cœnomanorum fuit continuiſſe videntur, vt latius probari poſſet; & ita aliæ regionis eius eccleſiæ iuris fuerũt Mediolanenſis, aliæ vero Aquileienſis. Italiæ finitimas, Rhetiarum, alpinaſq; eccleſias intelligas licet. Liguria vero; ſi forte id quoque monere aliquem oporteat; eo tempore etiam Inſubres, ac ceteros populos, quos antiqui tranſpadanos

dixe-

dixere; continebat. Quod autem officium episcopi alias ecclesias à Vercellẽsi petijsse dicit sanctus Antistes; significat S. Eusebium ita suos instituisse discipulos, vt ex eis aliæ sibi ecclesiæ postularent episcopos.

Eandem auctoritatem Metropolitanã etiam in Veronensi ecclesia ostendunt
64. 65. epistolæ ad Syagrium episcopum Veronensem. scribit enim de iudicio suo in causa Indiciæ Virginis, quæ leuiter in suspitionem violatæ virginitatis, vt rea, ab episcopo vocata, appellasse *videtur S.* Ambrosij iudicium; qui quidem eam S. Marcellinæ eius sorori traditam, absoluit; episcopumque vehementer reprehendit. Prospiciendum esse, inquit, ne de nostro obloquantur iudicio charissimi nostri Veronenses, proprijs texuisti litteris. non arbitror fore. certe non solent. aut si obloquantur; de quo obloqui soleant, haud dubie liquet; cum exasperati huc veniant; pacifici ad te reuertantur: præsertim cum hoc iudicium nostrum cum fratribus, & consacerdotibus no-

, nostris participatum processerit. & inse-
, rius. Qui tamen &c. vbi in meo astite-
, runt iudicio, cum primo de origine caus
, sæ quærerem, diuersa, & distantia prom-
, psere, non locorum separati, sed men-
, daciorum diuortio. ita S. Ambrosius,
qui alia quoque vsque ad finem epistolę,
de illius caussæ actione refert. postremo
dicit, Indiciam inoffensi virginem mu-
neris se pronunciasse; calumniatoresq;
excommunicasse. ostendit autem primis
verbis, non hoc solum Virginis iuditium
Veronense coram se actum; sed alia quo
que eiusdem vrbis agi consueuisse.

Bononiensis quoque cum ceteris Ae-
miliæ ecclesiijs, Metropolis fuit Medio-
lanensis. quas quidem ecclesias, aut ple-
rasque Valentinianus iij Imperator cum
Placidia matre in Rauennam propen-
sior, postea Rauennati Archiepiscopo
curauit adiungi, vt Blondus ex Rauen- Decad. 1, lib. 2.
nate scriptore Agnello retulit; licet Ra-
uennates auctores postremi contra au-
ctoritatem etiam suorum perturbantes
historiam eidem adiunctos antea fuisse

ſcribant. De Bononienſi quidem eccleſia fatetur Sigonius in libro de epiſcopis
ann. 450. ep. 83. Bononienſibus: eoque ſpectat, quod S. Ambroſius ſcripſit ad epiſcopos per Aemiliā conſtitutos; licet doctrinæ aliquis Antiſtitis, nón iuri fortaſſe id tribuet. idem ſignificare videtur vir ſanctus, cum ad Euſebium Bononienſem Epiſcopum
Ep. 46. ei valde familiarem ſcribens, de Mediolanenſi, & Bononienſi puero iocatur. Valentinianum enim ferocem dicit *indignatum ſe, quod Metropolitanus vir Bononienſi ſubditus neſcio quomodo fieret*. educabantur pueri & virgines Bononienſes diſciplinæ ſanctæ gratia Mediolani ad pręſcriptum Ambroſij, & Marcellinæ. qua de re ipſe ita in libro de virginibus: Denique de Placentino ſacrandæ virgines veniunt; de Bononienſi veniunt; de Mauritania veniunt, vt hic velentur. magnam rem videtis: hic tracto, alibi perſuadeo. Ac adiumentum ſeu ſuffragium quod ei Bononienſis epiſcopus ea in re, quam ipſe piſcationem appellabat, afferebat, tangit inferius, cum is eſ-
ſet

ſet præſens, Et bene accidit, inquit, quia nos laboraturos Dominus ſciebat, & anxium de ſocijs, miniſtrauit. adeſt piſcator eccleſiæ Bononienſis aptus ad hoc piſcandi genus: da Domine piſces, quia dediſti adiutores. Eodem refertur, quod Bononiæ reliquias ſanctorum martyrum Vitalis, & Agricolæ, ipſa præcipuè tranſtuliſſe videtur, vt ex ipſo, & ex Paulino presbytero intelligitur. lib. 3. in fi.

Præterea vero ad Conſtantium ſcribens, qui nuper factus erat epiſcopus in Aemiliæ vrbe; Commendo, inquit, tibi ep. 44.
» fili eccleſiam, quæ eſt ad forum Cornelij,
» quo eam de proximo interuiſas frequen-
» tius: donec ei ordinetur epiſcopus. oc-
» cupatus diebus ingruentibus quadrage-
» ſimæ tam longe non poſſum excurrere.
» Fauentiæ epiſcopum crediderim Conſtantiũ, quæ Foro Cornelij, hoc eſt Imolæ proxima eſt. nam Bononienſis Euſebius, vt diximus, appellabatur. Fauentiã vero quandoque ſe contuliſſe Ambroſium Paulinus auctor eſt.

De Comenſi quoque eccleſia, & eius epi-

episcopo Felice referendum est, ad quē
ep. 5. vt a se ordinatum hęc S. Ambrosius scri-
, bit inter alia: Bonum fœnus spiritalis gra
, tiæ, quod ueniens Dominus cum vsuris
, exiget; & cum te bene dispensasse inue-
, nerit; dabit tibi plura pro paucioribus:
, eritque mihi fructus dulcissimus; quòd
, meum in te iudicium comprobabitur;
, ordinatio non reprehendetur, quam ac-
, cepisti per impositionem manuum mea-
, rum, & benedictionem in nomine Do-
mini Iesu. quibus verbis non *officium* so
lum ordinationis; sed iudicij quoque, &
approbationis demonstratur. quale au-
tem iuris Metropolitici sit argumentum;
ordinatio, & approbatio, veterum conci-
liorum canones, & Pontificum decreta
superius allata satis ostendunt.

Curæ Metropoliticę erga Ticinensem
lib.2.c.29 ecclesiam indicium est in officiorum li-
bris; vbi de seruandis ijs, quæ in eccle-
sijs deposita sunt, contra quamlibet po-
tentiam, siue ea viduarum sint, siue alio-
, rum; Meministis, inquit, ipsi, quotiens ad-
, uersus regales impetus, pro viduarū, im-
mo

, mo omnium depositis certamen subieri-
, mus. Commune hoc vobiscum mihi:
, recens exemplum ecclesiæ Ticinẽsis pro-
, feram; quæ viduæ depositum, quod su-
, sceperat, amittere periclitabatur. inter-
, pellante enim eo, qui sibi illud imperiali
, rescripto vendicare cupiebat; clerici nõ
, tenebant auctoritatem: honorati quo-
, que, & intercessores dati, non posse præ-
, ceptis imperatoris obuiari ferebant, lege-
, batur rescripti forma, directio magistri
, officiorum statuta; Agens in rebus immi
, nebat, quid plura? traditum erat. tamẽ
, communicato mecum consilio, obsedit
, sanctus episcopus ea conclauia, ad quæ
, translatum illud depositũ viduæ cogno-
, uerat: quod vbi non potuit auferri, rece-
, ptum sub chirographo est. postea iterũ
, flagitabatur ex chirographo. præceptũ
, Imperator iterauerat, ut ipse per semet-
, ipsum nos conueniret. negatum est; &
, exposita diuinæ legis auctoritate, & serie
, lectionis, & Heliodori periculo, uix tan-
, dem rationem imperator accepit. post
, etiam tentata fuerat obreptio; sed præ-

uenit

, uenit ſanctus epiſcopus, vt redderet vi-
, duæ quod acceperat. hæc S. Ambroſius.

Sed ea quoque magis expreſſa fuit eccleſiæ eiuſdem cura, quam Paulinus refert; eidem eccleſiæ Ticinenſi ſacerdotem ordinaſſe paulo antequam in eum morbum incideret, ex quo ex hac vita deceſſit: vt iam duos epiſcopos Ticinenſes Ambroſij tempore habeamus; cum neminem relinquant, qui primos eius vrbis epiſcopos ad eccleſiæ initia referre conantur.

V. t. S. Ambr. in fi.

10 Nouarienſi quoque eccleſiæ traditur à noſtris S. Simplicianus, qui S. Ambroſio ſucceſsit, Gaudentium Eporedienſem, olim S. Martini diſcipulum ordinaſſe. cui rei conſentiunt ſcripta Nouarienſium vetera.

11 Sed pulcherrimum extat monimentum huius Metropolitici iuris tẽpore S. Leonis Pontificis. id epiſtola eſt S. Euſebij epiſcopi Mediolanenſis, qua contra Eutychianam hęreſim Leonis ipſius de fide ſententiam antea iam ad orientales, tunc ad ſe Miſſam, vna cum coëpiſcopis

ſuis

ſuis collaudat: epiſtolam vero ipſam, quoniam neque longa eſt,& integras habet epiſcoporum ſubſcriptiones, hic deſcribendam putauimus. licet ea habeatur inter opera S.Leonis; & in tomis epiſtolarum Pontificiarum. Domino ſan-
, ҫto, & beatiſsimo Patri Leoni,Euſebius
, Mediolanenſis epiſcopus. Reuerſis Do-
, mino annuente, fratribus noſtris, quos
, ad orientem fidei cauſſa ſolicite proui-
, da beatitudo veſtra direxerat; decurſiſ-
, que litteris,quas per eos tua ſanctitas de-
, ſtinauit: omni exultatione in Chriſto re-
, leuatus ſum; quod effectum commiſſæ
, ſibi legationis eoſdem reportaſſe, veſtra
, pagina deſignauit. Nec mirum, quòd
, Dominus noſter Ieſus Chriſtus Catholi-
, cæ fidei, quam tenemus maieſtatis ſuæ
, gratiam,cuſtodiamque præſtiterit; quan
, do vos idoneos cultus ſui aſſertores in
, Apoſtoli ſui ſede Præſules collocauit;
, qui & recta ſentire de incarnationis do-
, minicæ ſacramento, & eadem poteſtis
, recte cuſtodire. Admonitis ergo fratri-
, bus,& coëpiſcopis meis,habitoque con-

,,uentu, vestrarum formam tenuimus lit-
,,terarum: nam recensens epistolam bea-
,,titudinis vestræ in sacerdotum Domini
,,concilio, quam sanctus frater, & coepi-
,,scopus noster Abundantius, & compres-
,,byter meus Senator detulerant, agnita-
,,que eorum narratione, sicut scripta ve-
,,stra significauerant, rerum gestarum or-
,,dine, continuo requisita est; recitataque
,,epistola, quam fidei assertione plene di-
,,gestam, ad orientem dudum sanctitas ve-
,,stra transmiserat; quę ad nos ex vestra
,,admonitione, sancto fratre, & coepisco-
,,po nostro Ceretio mutuante, peruenit;
,,claruit eam plenam fidei simplicitate ful
,,gere: prophetarum etiam assertionibus;
,,euangelicis auctoritatibus, & Apostoli-
,,cæ doctrinæ testimonijs, nitore quodam
,,lucis, & veritatis splendore radiare; om-
,,nibusque sensibus conuenire, quos bea-
,,tus Ambrosius de incarnationis domini-
,,cæ mysterio, suis libris sancto spiritu ex-
,,citatus inseruit. & quia omnia maiorum
,,fidei, nobis antiquitus traditæ tota puri-
,,tate conueniunt; domine sancte, & bea-

tissi-

,tiſsime pater; placuit omnibus,quorum
,ſubſcriptio ſubter annexa nomina pote-
,rit declarare: vt eos qui impie de incar-
,nationis dominicę ſacramento ſentiunt,
,quamuis intellectus ſui prauitate, a ca-
,tholicæ fidei veritate recedentes,ſeipſos
,dignos abiectione fecerint; ſuo etiam
,conſenſu, auctoritatis veſtræ præceden-
,te ſententia,damnatione congrua perſe-
,quendos.
,Litterarum ergo veſtrarum formam ſe-
,cuti modũ præſcriptæ ordinationis nos
,ſeruaſſe, his per fratrem, & coepiſco-
,pum noſtrum Cyriacum miſsis oſtendi-
,mus. ſupereſt vt annuente Domino,per-
,fectis rebus, palmam fidei & conſumati
,certaminis coronam quiete perpetua re-
,tinentes,hoc futuris memorabile ſæculis
,relinquatis; vt ab hoc tempore præſen-
,ti, extincta impiæ ſectæ contumacia vi-
,deatur; vt vobis propugnatoribus in ęter
,num proſtrata ſuccumberet. & alia ma-
,nu. Incolumem beatitudinem tuam ſum
,ma diuinitas tueatur,atque cuſtodiat,do
,mine ſanctę, & beatiſsime pater.

, Ego Eusebius episcopus ecclesię Medio-
, lanensis in omnia supradicta consensi &
, subscripsi, anathema dicens his, qui de
, incarnationis dominicæ sacramento im-
, pia senserunt . eadem formula reliqui
, subscripsere . hi autem sunt.
, Fauentius Episcopus Rhegiensis ec-
, clesię.
, Maioranus Placentinæ
, Cyprianus Brixillensis
, Quintinus Dertonensis
, Crispinus Ticinensis
, Maximus Taurinatis
, Floreius presbyter iussus a pręsente San-
, cto Eulogio episcopo suo ecclesiæ Ipo-
, riensis, quia ipse per infirmitatem sub-
, scribere non poterat.
, Gradus presbiter directus ab episcopo
, suo ecclesiæ Augustanæ
, Cvriacus Laudensis
, Abundantius Comensis, pro se, & pro
, absente Sancto fratre.
, A simone episcopo ecclesiæ Curiensis pri
, mæ Rhetiæ.
, Paschasius Genuensis

Pa-

, Pastor Astensis
, Simplicius Nouariensis
, Ioannes Cremonensis
, Octauianus Brixianæ
, Iustianus Vercellensis
, Quintinus Albingaunensis
, Præstantius Bergomatis

Ex quibus quidem subscriptionibus metropolis hæc cognoscitur totam pene Galliam cisalpinam, cum Liguribus, alpinisque populis, quod initio diximus, cõtinuisse. nam quod vltra Rhegiensem alias ecclesias non habuerit S. Eusebius, vt olim S. Ambrosius; Valentinianus eius nominis tertius, non multo ante fecerat; qui vt memorauimus, multas ecclesias Rauennati addixit episcopo: quę prima fuit huius metropolis deminutio. atque hinc perspicitur non omnes eas ecclesias a Valentiniano quidem ecclesię Rauennati fuisse addictas, quas enumerat Blondus, quandoquidem hic Placentinum, Brixillensem, & Rhegiensem episcopos subscriptos vides. credibile vero est, Exarchatum Rauennæ postea constitutum

ad eam metropolim rurſus amplificandam valuiſſe.

12 Poſtea nobis occurrit S. Epiphanij Ep. Ticinenſis ordinatio a Mediolanenſi Antiſtite facta; ſicut S. Ennodius Ep. Ticinenſis in eius vita ſatis oſtendit, non ea quidem, quæ primo Surij tomo mutila, neſcio cuius culpa edita eſt; ſed ea quæ ſeptimo, cui vaticanus codex à nobis ad hoc inſpectus conſentit. narrat ibi Ennodius Epiphanium Epiſcopum Ticini electum Mediolanum ductum eſſe, *& ibi conſecratum*, a quô vero ipſe non explicat; ſed veriſimile eſt à Geruntio, Benignoue Præſulibus ſanctitate claris qui poſt Euſebium fuerunt. Idem ſcribit Alciatus in hiſtoria patriæ lib. 5. quamquā vir alioqui doctiſsimus in tēpore errat.

13 Sequitur deinde S. Laurentius Archiep. ſi eo iā nomine metropolitā eo tē pore frequentius appellabant: atque eo vtitur Symmachus Pontifex ad hūc clariſsimum Antiſtitē ſcribens. Interfuit is concilijs Romanis Symmachi ipſius iuſſu, & cauſſa, celebratis; quibus moni-

ep.8. inter Pōtificias & concil. vol. 2. Concil. tom. 2.

mentis ita metropolis hæc probatur; vt post ipsum Pontificem primum locum Mediolanensis Antistes obtineat; & Rauennati preferatur: quod obseruauit etiã
, Gratianus; his verbis, Hoc quoque no- 15. c. vlt.
, tandum est, quod in hoc concilio, & in
, alia Synodo Symmachi Papæ, ante Ra-
, uennatem episcopum, Mediolanensis
, subscripsisse, & respondisse, legitur: ex
, quo & sedis prerogatiuam ante eum ha-
, bere colligitur: ita Gratianus: Hunc Antistitem, & eius actiones summis laudibus celebrauit Ennodius Episcopus Ticinensis vir suo tempore doctrina, virtuteque admodum clarus; & episcoporum quidem Mediolanensium studiosissimus, quos plerosque carminibus singillatim laudauit: sed Laurentio in primis deditus: in cuius natali laudationem habuit: cuius res gestas magnis laudibus, versu, prosaque oratione extulit, quemadmodum eius impressi libelli testantur. Quod autem eum in laudatione, & in quibusdam etiam versibus summum Pontificem appellet, intelligi

debet inter episcopos, ac Pontifices suæ prouinciæ: nam eiusmodi verborum vsus adhuc ad Romanum Pontificem solum, cui vni vere, ac propriè debetur, omnino redactus non erat; quemadmodũ & Papæ nomen. Ac ad eandem Archiepiscopalem dignitatem, & ad ipsum quoque Laurentium referri debet, quod idem auctor S. Ambrosium in hymno inuocans, precatur, licet abstrusiori quadam, vt mos eius fuit, oratione;

, Sedis memento lux tuæ;
, Exorna sancte posteros
, Auctore fultus nobili:
, Ne dux sereni culminis
, In nube tectus horreat;
, Qui pastor est antistitum,
, Quod fugat omne summouet,
, Gregem gubernat principum,
, Magister est docentium.

14 Alia metropolis Mediolanensis testimonia suppetunt in S. Gregorij, aliorumque Pontificum litteris: sed post tot tantaque antiquitatis monumenta; videtur iam superuacaneum in re, quę adhuc

per-

perſpicitur,& vſu præſenti confirmatur, pluribus agere. tantum beati Manſueti Archiepiſcopi Synodicam epiſtolam cõ memorabimus, quam ad Conſtantinum iiij. Imp. dedit; quæ habetur in conciliorum voluminibus. cuius titulus, & initium eſt, epiſtola Manſueti epiſcopi Mediolanen. ad Conſtantinum Imp. Domino Sereniſsimo, atque tranquiliſsimo, & a Deo coronato, religioſiſsimo Conſtantino Imperatori, Manſuetus Mediolanenſis metropolitanæ eccleſiæ indignus epiſcopus; vel vniuerſa ſancta epiſcoporum fraternitas, quæ in hac magna regia vrbe conuenit, æternam in Domino ſalutem. Si apicem imperialis faſtigij &c. Ob monothelitarum hæreſim cõcilium habuit Manſuetus, circiter annum Domini ſexcenteſimum octogeſimum, & contra ipſam pro catholica fide ſcripſit. dicitur autem Damianus epiſcopus Ticinenſis eam epiſtolam compoſuiſſe a Paulo diacono, quem Platina, & alij ſecuti ſunt. Agatho item Pontifex ob eandem cauſſam concilium epiſcoporum

tom.2. ante ſextam synodum.

lib.6. c.4.

centum viginti quinque habuit; & pro fide catholica libellum Synodi nomine ad Constantinum misit, vna cum legatis, qui concilio interfuerunt Constantinopoli celebrato in Secretario sacri palatij, quod dicebatur Trullus. hæc sexta Synodus est vniuersalis. sed cum Damianus ep. Ticinensis epistolam nomine Mansueti, Synodiq. composuisset; ex hac vita paulo post migrasse videtur: nam Anastasius eiusdem vrbis episcopus libello Synodi Romanæ vna cum alijs prouinciæ Mediolanensis episcopis *post Mansuetum* subscriptus est: quorum hæ sunt
„ subscriptiones. Mansuetus Dei gratia
„ episcopus sanctæ Mediolanensis ecclesię
„ in hanc suggestionem, quam pro aposto
„ lica nostra fide vnanimiter construxi-
„ mus subscripsi.
„ Ioannes in dignus episcopus sanctæ ec-
„ clesiæ Bergomatis &c.
„ Donatus episcopus sanctæ ecclesiæ Lau-
„ densis &c.
„ Anastasius episcopus sanctæ ecclesiæ Ti-
„ cinensis &c.

Va-

,Valentinus episcopus Sanctæ Ecclesiæ
,Aquensis &c.
,Desiderius episcopus sanctę ecclesiæ Cre
,monensis &c.
,Gratianus episcopus sanctæ ecclesiæ No
,uariensis &c.
,Desiderius episcopus sanctæ eccl. Epo-
,rediensis &c.
,Ioannes episcopus sanctæ ecclesiæ Ge-
,nuensis &c.
,Deusdedit episcopus sanctę eccl. * &c.
,* Audacis episcopus sanctæ ecclesię Der-
,tonensis &c.
,Benenatus episcopus sanctæ ecclesiæ A-
,stensis.
,Benedictus humilis episcopus sanctæ ec-
,clesiæ Valuensis
,Bonus episcopus sanctæ ecclesiæ Albi-
,gaunensis
,Theodorus humilis episcopus sanctæ ec
,clesiæ Vercellensis
,Rusticus humilis episcopus sanctæ eccle
,sie Taurinatis
,Ioannes episcopus sanctæ ecclesiæ Vinti-
,miliensis

Sequi-

Sequitur deinde ſubſcriptio epiſcopi Lunenſis,& aliorum qui ad hanc metropolim minime pertinent. quod deeſt eccleſiæ nomen vni eccleſiæ aſsignandum eſt ex ijs,quæ deſunt.quæ quidem ſunt,Brixienſis,Comenſis, Auguſtana,Curienſis. Placentinus autem epiſcopus,Rhegienſis,Mutinenſis,& reliqui; de quibus huic metropoli ademptis iam diximus, poſt Rauennatem metropolitanum ſuũ ſubſcripſere. mirari autem quis poſsit vnde irrepſerit poſtrema omniũ ſubſcriptio, Magni epiſcopi eccleſiæ Pap*ienſis : nam* & ſuperius loco ſuo Anaſtaſius Ticinenſis ſubſcriptus eſt; neque Magnum habẽt in epiſcoporum ſuorum numero Papienſes. ſed eſt valde probabile,pro Popilienſis, dictum eſſe, Papienſis, in exarchatu namque erat Forum Popilij : & ita dicta eſt eccleſia Popilienſis, ſicuti eodem loco Liuienſis & Cornelienſis.

15 De metropoli ſatis, ſuperq. dictum: nam eximia Archiepiſcopi Mediolani poſterioris temporis incrementa, dignitatem, auctoritatemq. inſigniter auctam

hoc

hoc quidem loco omittimus: quia potius ad humanum splendorem, ac principatum, quam ad ecclesiasticam auctoritatem pertineant. is enim iam inde quidem a S. Gregerio Pontifice Italici regis creandi, coronandiq. ius sibi vendicans: post annum certe septingentesimum septuagesimum tertium, hoc est extincto regno Longobardorum, a Carolo magno exercuit; atque inter Principes magnis potestatis humanæ titulis, opibusq. floruit, vt passim historię docent. illud potius nunc attingendum est; quo tempore, quaue ratione multæ ecclesiæ eidem metropoli detractæ sint. quo in genere primo in vniuersum dicere possumus: quòd postquam per singulas prouincias Ecclesię nascentis gubernatio, vt S. Leo loco superius memorato ait, instituta est: si qua Ecclesia a Metropoli, prouinciaq. sua postea vnquam detracta est: vel adiuncta fuit alteri Metropoli, vt de Bononiensi, ac alijs quibusdam iam diximus; vel si sui iuris effecta est, & ab alijs prouincijs separata; id euenit ob nouũ

Sigon. de re Ital. lib. 1. 601. li. 4. 773. lib. 6. 961. lib. 8. 1002. & 1027.

aliquem principatum, quem ciuitas adepta est: quod quidem, vigente imperio occidentali, cum Imperatores omnia tenebant, videtur in Italia fieri non potuisse; sed demum post Italiam barbarorum occupatione diuisam: nam & Romani Pontifices per ea prima sæcula prouinciarum gubernationem cum Episcoporum ordinationibus metropolitanis, & concilijs prouincialibus ea ratione permittebant; quam sacri canones, & decreta Pontificum multa superius citata satis probant. Ac Ticinensem quidem Ecclesiam Longobardorum Reges, qui ea in vrbe sedem habuere, videntur metropoli suæ detrahere cœpisse: nam ea est fere Principum consuetudo, vt vbi resident, eius vrbis episcopum, vel alijs episcopis præesse, vel saltem nemini parere velint, preter Romanum Pontificem. quod qui ipsem etiam si Principes negligunt, ipsi episcopi sæpe curant; & ex eorum sese potentia afferunt. quod cum sit omnino verisimile, plurimisq. doceatur exemplis; confirmatur etiam auctoritate Pau-

li diaconi; cuius hæc sunt verba: Tunc lib. 6. c. 29
, quoq. venit Benedictus Archiepiscopus
, Mediolanensis Romam; & caussam egit
, pro ecclesia Ticinensi: sed victus est; eo
, quòd à priscis temporibus Ticinēses epi-
, scopi à Romana fuerant ecclesia conse-
crati. hunc secutus est Anastasius biblio-
thecarius, Platina, & alij; quorum non-
nulli addunt aliquid. sed ex hoc quasi
fonte hausére omnes. fuit vero tum Pon-
tifex Constantinus; resq. accidisse vide-
tur anno Dom. septingentesimo decimo
quinto ex eo loco apparet; Ticinensem
ecclesiam a Mediolanensis Archiepisco-
pi potestate iam ante cœptam aliquo mo
do subtrahi: id quod Regum illorū po-
tentia non iure aliquo factum credibile
est: quod cùm videret Benedictus, vir
egregiæ sanctitatis etiam Pauli ipsius te-
stimonio; ratus sibi rem silentio minime
prætereundam: neque permittendum,
vt tacitè ius ecclesiæ suæ eriperetur: sum-
mum Pontificem adijt. nam quòd a pri-
scis temporibus episcopum Ticinensem
a Romana ecclesia consecratum Paulus

affirmat; id tantummodo de longobardorum temporibus accipiendum est;qui iam ante annos circiter centum quadraginta quinque Ticini regnabant. atq. ita prisca illa tempora hoc omnino spatio concludenda sunt. nam alioqui & S. Ambrosius ecclesiæ Ticinensi ordinauit episcopum,vt retulimus ex Paulino: & S. Epiphanium ab Antistite Mediolanensi consecratum superius demonstrauimus. Duo igitur videbantur quodam modo contraria: alterum est,quòd a Romano Pontifice non autem ab Archiepiscopo Mediolanen. iam longo temporū interuallo consecrabantur episcopi Ticinenses; quod erat imminuti iuris Mediolanen. argumentum. alterum, quod ijdem a metropoli Mediolanensi nulla iuris, auctoritate exempti erant ad Synodos Mediolanenses veniebant; & inter episcopos prouincię censebātur; quemadmodum vel ex hoc postremo Mansueti Med. Damianique, ac Anastasij Ticinē sium facto apparet; qui paucis annis ante Constantinum Pontificem fuere. Hoc

vero cōtra confirmabat ius ecclesiæ Mediolan. Ita merito potuit Benedictus Archiepiscopus antiquum ecclesiæ suæ ius sibi vendicare; caussamq. deferre ad Romanum Pontificem. nam, & nefas est de viro sancto putare; quòd ius illud sibi vendicare, & ideo Romam petere voluerit, idoneis aptisq. argumentis destitutis; vt quidam temere videntur affirmare: & si ecclesia Ticinēsis omnino adhuc sub Mediolanensi fuisset, Paulus non ita loqueretur: licet alioqui Mediolanensibus minime videatur fauere. potius priuilegium tunc primum concessum affirmaret. nunc autem litem institutam significat; Benedictumq. Archiepiscopum victum. Hęc victoria qualis fuerit, non explicat; sed intelligēda videtur ex eius verbis, vt Pontifex ipse Ticinensem episcopum ordinare pergeret; quæ quidē vt imminutio quędam iuris Archiepiscopalis erat; ita neque integra ratio videbatur ecclesiæ Ticinensis ex Metropoli Mediolanensi eximendæ. potuit enim Pontifex, vt vniuersalis metropolites pri-
uile-

uilegij gratia, consecrationem illius episcopi sibi reseruare; neq; in ceteris propriæ metropoli subtrahere. sed ex eo tempore mihi quidem neq. consecrationes, neque synodicæ actiones episcoporum Ticinensium suppetunt; quæ pristinum ius Archiepiscopi demonstrent. contra vero Ticinensis episcopi priuilegia pallij, crucisque adhibendæ ostẽduntur; quæ ecclesiæ exemptæ certa videntur argumenta. quæ tamen ante annos circiter quadringentos ab *Alexãdro iij.* vt Platina auctor est, cum alijs Pontificiarum rerum scriptoribus, ei adempta sunt. in quo quid iuris statuendum sit, alij viderint.

Ecclesia Genuensis, cum ea respubl. iam amplificata esset, ab Innocentio ij. circiter annum domini millesimum centesimum trigesimum tertium Mediolanensi adempta metropolis ipsa facta est; vt idem Platina auctor est; & Episcopus Nebiensis.

Taurinensem a Sixto iiij. Mediolanensi metropoli detractã scribit Pingonius:

me-

metropolim vero factam; primumq. in ea Archiepiscopum creatum a Leone X.

De Augustana, Comensi, alijsque nõnullis, neque noui quando sint detractæ, neque adhuc quæsiui. ac de Comensi quidem Benedictus Iouius, cum affirmare non posset, silere fortasse potius debebat. Hi vero episcopi ad synodos à Carolo Cardinali Archiepiscopo superioribus annis celebratas nulla controuersia conuenere: quemadmodum ipsi synodorũ libri continent: Vercellensis, Albensis, Viglebanensis, Dertonensis, Casalensis, Aquensis, Brixiensis, Cremonensis, Alexandrinus, Bergomensis, Laudensis, Nouariensis, Astensis, Sauonensis, Intimiliensis. Aliarum quidem ecclesiarum episcopos ad Synodum vocandos Caroli consiliarij, cum primum ille Mediolanum Archiepiscopus venit, existimarunt, auctoritate libri vsi, qui prouincialis dicitur, in quo Albingaunensis, & Placentinus huic metropoli adiecti sunt; Papiensis autem, & Ferrariensis ita, vt eos ab ea tamen exemptos fuisse, adnotetur. sed negotium

postea

poſtea Carolus omiſit grauioribus occupatus; licet eius rei, vt magnæ cuiuſdam concertationis, quæ nulla fuit, inanem hiſtoriam quidam ſcripſerint.

